

Quis huiusce beneficii magnitudinem mente concipere, & dignè æstimare queat?

Alterum est, quòd vt hoc principale, inæstimabileque beneficium, tum cognoscere, tum re ipsa percipere, eoque in æternam beatitatem frui possemus, dedit & dat Ecclesiæ Doctores atque Pastores, qui in finem vsque mundi, sacrosanctum ipsius Euangelium docendo, interpretando, prædicando, pretiosissimos æternæ salutis per Christum partæ thesauros nobis recludant, fideliterque dispensent, qui voluntatem Dei explicent, qui denique vt ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, ac ceu seruatores (quemadmodum Propheta eos vocat) infelicissimam optatissimamque illam sempiternæ hæreditatis possessionem, ministerio diuini verbi, tandem aliquando feliciter inducant. Quid his duobus beneficiis maius, præstantiusque excogitari expetive à nobis poterat? Vtrumque hoc verè diuinum & incomparabile beneficium, Patriarcha ille Iacobus mihi visus est & certò præuidisse, & summa verborum breuitate complexus, suis filiis non obscure patefecisse, cum dixit: *Non desistet tribus à Iehuda, neque legislator à medio pedum eius, usque dum venerit filius eius & sit ei obedientia populorum:*

Placet locum hunc difficilem, in studioforum Theologiæ, imò piorum omnium gratiam & utilitatem explicare. Ita igitur exponitur ad verbum: *Non auferetur, seu, non recedet, sceptrum, de Iehudah, nec scriba (vt vertit Chaldæus) de intra pedes eius, id est, de medio pedum eius, donec veniat*

*Siloh:*

*Abd. 21.*

*Gen. 49. 10.  
Secundum  
versionem  
Imman.  
Trem.*